

et acquisibile homini, si id verum est, cur ergo extra rem in eam discussionem descendit?

Postremus videtur locus contra ideas 3. Analytico capite 18:¹⁰⁰ *Ideae namque valeant, terriculamenta enim sunt, et si sunt, nihil ad sermonem sunt.* Nihil sane ad illum sermonem faciunt, quo assererebat, quaecumque substantiam non significant, oportere de aliquo subiecto praedicari et non esse aliquod album, quod nihil aliud existens album est, nullum enim accidens per se est. Ideae vero accidentia nec sunt, nec esse Plato dixit, sed maxime substantias. Cur ergo cum de accidentibus loqueretur, non separatis a subiecto ideas induxit, cum ad rem nihil facerent? Causa in promptu est, nimium scilicet contradicendi omnibus quidem, sed praecipue Platoni, studium. Cur autem terriculamenta, cum maxime et vere entia ex suis quoque dogmatibus ostensum sit esse, 15 appellarit, eadem est causa et ardens in praeceptorem odium.

FINIS.

INSTITUT
ZA FILOZOFIJU

¹⁰⁰ τὰ γὰρ εἶδη χαιρέτω. τερετίσματά τε [γὰρ] ἐστὶ, καὶ εἰ ἔστιν, οὐδὲν πρὸς τὸν λόγον ἐστίν. [ARIST. A Po.83a.32 – 35]